


**05
A
1757**



24

DISPUTATIO PHYSICA DE GENERATIONE

Quam

I. N. S. T.

Amplissimâ Facultate Philosophicâ
permittente

placidè ventilandam
exponunt

PRÆSES

M. JOHANNES SIMON,
DRESdensis, ALUMNUS ELECTORALIS,

5

RESPONDENS

HENRICUS TITIUS SAGAN.
SILESIUS.

ad diem 16 Junij A. O. R. M. DC. LV.

In Auditorio Minorī

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNJS HAKEN.



V I R I S

Admodum Reverendis, Magnifico, Amplissimis,
atque Excellentissimis.

DN. JACOBO WELLERO,

Hæreditario in Kleinfarsdorff Theologo Famigeratisimo,
Sereniss. Elect. Sax. à concionibus Aulicis primariis. ut & à
Confessionibus & Consiliis Sacris &c.

DN. JOHANNI MEISNERO,

Doctori Theologo ac Professori Publico Celeberrimo, Alum-
norumque Electoralium Ephoro gravissimo,

DN. ANDREÆ KUNADO,

S.S. Theol. Doctori ejusdemque Professori Publico Celeberr-
rimo Consistorii Ecclesiastici Assessori & Alumnorum Electo-
ralium, Ephoro gravissimo.

DN. AUGUSTO BUCHNERO,

Oratori atque Poëtæ summo, Profess. Publico, & Alumno-
rum Electoralium Ephoro itidem gravissimo.

DN. MICHAELI WENDELERO,

S.S. Theol. Doctori & Philosophiæ Practicæ Professori Publi-
co Celeberrimo.

Dominis Patronis, Promotoribus, Hospiti ac Præceptoribus æviter-
na observantia prosequendis

ut &

Viro Consultissimo & Civili Prudentia spectatissimo

DN. NICOLAÖ Fugitavit /

Sereniss. Elector. Sax. in Præfectura Pelzigiensi à rationib.

Dominio Fautori atque Promotori magno & atatem sufficiendo.

bocce γύμναστικæ Philosophicum
sacrum esse vult

M. JOHANNES SIMON.



I. N. J.

θ. I. Generatio est actio quædam & momentanea & successiva.

§. 1. De Generatione nonnulla σὺν Θεῷ propositūrū ipsum primò nōmen post res exponenda venit. Hæc duo illa Scholasticorum momenta quid nominis & quid rei. Præcedat autem ὀνοματολογία ipsius rei tractationem seu Πραγματολογία ne cesse est. Etenim oportet prius vocis ipsius usum cognoscere, à quo sāpē numero provehimur in rei perceptionem, quemadmodū Plato in Cratylō, multis in locis Aristoteles ostendit, præclarè inquit Subtilitatum Magister. Id monitine & nos non observemus de varia significatione termini Generationis annotare potiora placet.

§. 2. Ali quando acceptio Tropica obtinet, quæ se extendit etiā ad accidentia, quorum productio quandoque etiam Generationis nomine venit. Sic generari dicuntur meteora, habitus, Species sensibiles juxta ac intelligibiles. Ali quando accipitur propriè pro substantiarum productione earumque corporearum in foro Philosophico. Sic generatur homo, rana, mus. Et hujus faciunt communiter duas species, univocam & æquivocam. Sed nos æquivocam istam generationem pro æquivocè dicta, imò pro puro & mero figmento habentes, Omnem generationem Physicam univocam esse existimamus,

§. 3. Cœterum de τῷ οἴτι an detur ejusmodi generatio univoca nemo est, qui dubitet. In ore omnium hæc: ruta rutam, canis canem, hominem generat. Et si homo incipit esse vel per Creationem vel per Generationem id contingit. Quis verò diceret hominem hodie creari, aut num fortean producitur æquivoca saltim generatione? æquivoca hæc generatio est non actio, est nonens.

§. 4. Hæc generatio est actio: est enim actus fluens à potentia activa, non secus ac risio, locutio, intellectio, volitio in homine. Datur in vivente potentia nutrix, auxtrix & generatrix, sunt potentia activa, quæ quando exercentur, habemus actiones

ctiones. Nec mirum, quod & ipsa sit passio quedam ratione geniti cum aliis solemne hoc sit actionibus, ut materialiter cum passione coincident, ut adeo inde orta sit distinctio inter generationem activam & passivam.

momenta.
neas,

§.5. Porro, sit ipsa in instanti & successivè diverso respectu. Terminatur n. l. ad formam, l. ad totum compositum cum omnibus suis partibus integrantibus. Illo modo sit in momento; forma n. producenda est instar puncti, tota est ubicunq; est, non pars post partem producitur, cum eas ne habeat quidem. Unde patet, quam male agant, qui generationem per motum definunt. Siquidem motus iste successionem infert, & omnis motus sit in tempore, ipsis quoque patentibus. Hoc est, quod movit Scaligerum, ut & phrasi hac: dum res generatur, uti noluerit, & se verè nimis fuerit inventus in eos, qui per motū describūt generationem. Ita Subtiliss. Vir Exerc. 290. s. I. Illa quoq; inquit non subtilis hominis oratio: dum res generatur, neq; enim generatio est in tempore, si generatio est formæ introductio, si forma est res indivisibilis. Pergit ibidem: alibi docuimus, generationem non esse motum, quod in Recentiorum Physis compendiis parum causae scriptum legimus.

succesiva.

§.6. Hoc posteriori modo, quō pro termino habet totum Compositum perfectè elaboratum, est utiq; temporaria & successiva. Cui fidē præter alia facit formatio hominis in utero. Quippe non simul omnes formantur partes, sed certus isque non exiguis temporis tractus ad hoc peragendum requiritur. Non possum non ad scribere elegantissima verba Excell. D. N. SPERLINGI, quæ habet in Tract. de Form. hom. c. 5. qu. 2. Formatio perfecta alia imperfecta. Hæc septimo à conceptione die absoluta est. Illa in fœminis die perficitur quadragesimo, in masculo trigesimo. Quam in rem Hippocrates ait: Genitura septimo die habet, quæcumque corpus habere potest: & fœmina conformacionem primam duobus, & quadraginta diebus, quod longissimum est, consequitur, masculus, diebus quod longissimum, triginta. Ulterior vero elaboratio partium cum primis carnosarum post diem trigesimum aut quadrigesimum inchoatur, & in masculis non ante tertium, in fœmiliis nō ante quartum mensem absolvitur.

TH. II. Ge-



Th: II. Generatio ad corpora simplicia non trahenda, u.
mixtis linquenda.

§. 7. Cælum non generat, neque etiam stellæ, de Elementis quoque res manifesta, nisi præconceptis opinionibus fueris fascinatus. Enimverò neutrum horum vergit ad interitum, i-
deoquæ nec generatione qua se ab eodem vindicent, habent o-
pus. Ubi cunque non sunt contrariæ qualitates ibi nulla matu-
enda corruptio, ubi nulla metuenda corruptio, ibi nec pericu-
lum est de vacuo in speciebus futuro, ubi tale periculum non
est, ibi etiam, cum opus non sit, generationem natura non in-
stituit; adde quod ratione simpliciū corporū mūdus in ipsa cre-
atione perfectionem omnem, quantam habere volebat creator
acceperit.

§. 8. Communiter in eo toti sunt, ut ostendat dari quoq;
generationem Elementorum. Hinc modo provocant ad rusti-
cam quandam experientiam, ad flicitiam alterationem, modò
ad generabilitatem. Hi nodi illi Gordii, quos nemo nisi qui pri-
mis labris Philosophiam degustavit, solvere novit.

§. 9. Tantum ad mixta spectat generationis beneficium,
quæ etiam ipso vel maximè indigent. Videbas sapientissimus
Creator perfectionem & unitatem mundi periclitari, si mixta,
quæ fatali interitus necessitate premebantur, generationem nō
haberent. Concessit ergo ipsis ad id mali declinandū, concessit
solis omnibus. ^{Lonitibz:} Omnibus inquam non individuis, d. speciebus
mistorum.

§. 10. Neque est existimandum acsi ad sola viventia spectet
generatio; non ita ad mineralia quoque referenda *ἀναλόγως*.
Inæqualitatem attributionis asserimus, veritatem non nega-
mus. Est generatio in viventibus est etiam in non viventi-
bus. Illi *περιτέως in his δευτέρως* Lectu dignissima sunt ver-
ba Celeberrimi Sennerti Epit. Phys. l. 5. c. 5. Est, inquietis metal-
lorum ac mineralium forma sui multiplicativa, habentq; istam vim
a Creatione indicam in materia disposita locoque apto sese multi-
plicandi. Id quod vel nitrum satis docet. Eris enim ex terra nitroſa
semel salcoctione extrahatur tamen ex matre nitri, quam appellant
natum nitrum regeneratur, idq; non semel, sed sapissimè, id quod ni-

non est sim-
pliciū cor-
porum

sed mixto-
rum

corumq;
omnium

tri coctoribus hodie notissimum. Si igitur beneficio propriæ formæ se multiplicant mineralia, quid aliud hoc est, quam generatione, quāvis nō per omnia cōveniat cū ea, quę viventium est, generatione. Hæc de subjecto generationis, nunc de formalis ejus ratione.

Tb. III Consistit ea in productione similis seu ejusdem specie effectus.

notat non
unionem
materiæ cū
forma

§. II. Si quicquam maximè necessarium, erit cognoscere in quonam formaliter consistat generatio. Gilb. Jacch. Inst. Phys lib 9. c. 3. i censet eam consistere in unione materiæ cum forma. Sic n. habet d.l. Generatio ergo formaliter est illa unio materiæ cum forma. Atq; hinc est, quod quicunq; materiæ forme unit, cōpositum generare dicitur. Is dicitur n. parietē dealbare, qui calcem parieti illinit, cum tamen nec candorem nec parietem produxerit. Quod dico in generatione hominis maximè constare potest. Homo n. hominem generare dicitur 2. Phys. 26. Et tamen generans nec formam, animā nimirum rationalem, nec corpus producit. Quia tamen animam corpori unit generans, hinc est, quod generare dicatur. Sed nititur falla hypothesi de Creatione animæ rationalis, non igitur mirum si ex falso falso eliciat. Sanè si homo generat hominem, etiam dat partes hominem constituentes. Filius effectus Patris proprius non imputatus est, hic per generationem producendus, non partes jamjam productæ saltim uniendæ. Conveniunt etiam hacten⁹ creatio & generatio, quod per utramq; ens esse incipiat. Non g. existimandum animam rationalem per Creationem produci, per generationem verò materiæ uniri. Et terminus generationis est ne substantia an modus? credo substantiam dixerint omnes Peripatetici. Ista a. unio saltem modus quidam est.

neg̃ solius
materiæ cō
municati-
onem

§. Neque hilo meliores illi sunt, qui formarum originem vel educationi vel inductioni vel creationi tribuunt. Illos n. de generatione minus tecē sentire necessum est. In specie quod educationem concernit, est figmentum in cerebellis hominum enatum, neque ullum ejus in natura vestigium appetit. Et malam hæc causam esse satis arguit, quod nec ipsi satis explicare possint illum Educationem. Quid n. quæso hæc sibi vult educationis respondent

dent formę educuntur è potentia matériæ, quia ab illa dependent in fieri, esse & operari, ita ut extra materiam nec siant, nec sint, nec operentur. Ast hoccine est dare originem, aut saltem terminum à quo, nedicā materiam quandam, ex qua fiat formæ, quam ipsi dedisse videri volunt. Subiectum s. materia in qua, cū principio seu materia ex qua non est confudenda. De hac non de illa quæritur, cum de origine formarum res est. Proinde latrem lavant ipsi subinde vociferantes formas educi è potentia matériæ, quia ab ea in esse, fieri & operari dependeant, ita, ut extra materiam nec siant, nec sint nec operentur. Evidem imprudentes facile ambiguo dependentiæ termino decipiunt, at quibus vel mica salis, decipere nequeunt. Quis nescit varios dependentiæ modos? non saltim effectiva, sed subiectiva, etiam objectiva, etiam fundamentalis datur, ut in Metaphysicorum scholis edocemur. Positō unō dependentiæ modo, non statim etiam alter ponendus necessariō est, aut quod certō respectu ab alio dependere dicitur, id non omni dependere modo existi mandum statim est. Pater à generatione fundamentaliter dependet, neque tamen ipsa eum in esse absoluto constituit. Dependent habitus à suo subiecto, dependentia, quam vocant, objectiva, non verò ut principio seu causa producente. Neque dependentia subiectiva semper presupponit effectivam in quo cunque causarum genere. Si dicant non de materia, sed de efficiente se loqui. Esto, neque tamen obtinent quod volunt. Materia est principium passivum, huic actio propriè dicta tribui nequit, & si vel maximè etiam ageret, effectum tamen se nobiliorem non produceret. Aut enim fieret hoc ab ipsa matériæ substantia, aut ab accidente. Non hoc, quia nullum accidens virtute propriâ substantiam producit. Non illud, quia effectus vel deterior vel similis, nunquam nobilior esse potest suā causā. Immotum manet argumentum hoc contra Educationis Patrons. Quacunque sententia nequit explicari, rationibus firmis probari, cum multis probatisimis regulis conciliari, ac denique ab absurditatibus liberari, ea improbanda est. Sententia de Educatione formarum est talis. E.

§. 13. Quod indu-



Inductionem concernit, quæ Fernelio sententia tribuitur pari passu cum Eductione ambulat. Dat effectus determinati causam non determinatam, dat causam effectu nobiliorem. Dat generationem æquivocam, explosa in totum univocā. Cum quæritur, unde formæ? respondet Fernelius: non ex eductione, hæc n. sententia multis est & efficacissimis argumentis proscissa, sed inductione, quæ naturali & inevitabili necessitate à cœlo & astris invehitur. V.B. Sennert. L. de Cons. & Diffens. c. 9. & Bassi. L. I. de Form. Int. 4. art. 5. citati à CL. SPERLING. Inst. Phys. l. I. c. 3. qv. 2. Verum enim vero Cœlum, Sol. stellæque reliquæ sunt corpora inanimata, non possunt igitur animam producere, non possunt nobiliorem formam efficere, alias alteri darent, quod ipsi non haberent, alias effectus causâ nobilior foret. Præterea sunt cause universales indeterminatè influentes, omniumque ortus promoventes, adeoque non possunt determinatum dare effectum. Qualis causa in actu causandi s. influxu talis etiam effectus erit. Et admittantur hæc, qualem quæso habebimus generationem in totarerum natura? Pulchrè Scaliger Exerc. 6. f. 5. si ita esset, nulla esset generatio. Est enim generatio generantis & generati, hæc duo sunt in numero & in specie unum, ut est in septimo Sapientiae. Aut igitur erit æquivoca omnis generatio aut etiam nulla. Neg̃ enim formam dederit Adamantius Catellus sed materiam tantum Therionillo. Tum Therionillus erit solis Filius veneris aut aliis, Neg̃ similis erit Adamantio Therionillus, ab illo namq; materia sine forma deducta est.

S. 14. Restat Creatio, quæ etiam mirum quantum veræ de generatione sententiæ officit, Etenim si formæ creantur non nova ab homine, cane, leone &c. essentia producitur. Si nō nova producitur essentia nulla fit generatio. Igitur in gratiam veritatis & hæc hypothesis paulo diligentius examinanda & refutanda erit. Id quod facturi sumus ^{opus} in medium allatis argumentis, primum esto: Quicquid ordinarie fit non immediate a Deo creatur. Quævis forma fit ordinariè E, non immediate a Deo creatur. Major, constat. sicut enim quæ ordinariè fiunt, naturam agentem. Deumque concurrentem inferunt, ita creationem

nem, quę solius Dei immediata actio, excludunt. Extraordinarię sunt Cometæ aliquę novę stellę, cum creantur ordinarię v. novę arbores, novę herbę, nova animalia cum non immediatè à Deo, d. mediatè causis secundis intervenientib⁹ producuntur. Minor quoque prolixiori non indiget probatio-ne, cum nemo forsitan sub Sole futurus sit, qui id infitias ire aut saltim in dubium vocare potuerit. Et quis existimaret tam frequentia fore miracula, aut quę ratio cur ordinarię reliquę formę, sola anima rationalis extraordinario agendi modo pro-duceretur. Secundum: Si generantes geniti causa physica sunt, formae non creantur. Verum prius. E. & posterius. Assumptum patet ex descriptione causae Physicæ, siquidē verè ac realiter jux-ta vim sibi insitam influit & proximè atttingit effectum. Inter-venit semen, sed partim ut medium, partim ut materia totius, partim ut instrumentum. Quid? quod facultas concessa gene-ranti non obscurā idem arguat, non n. frustra, sed ut exerceret & vi propriā non aliena hunc ederet effectum, collata est. Qui li-gna ardētia applicat domui ille etiā cōbustionis causa dicitur, sed nō physica, cū ipse vim cōburēdī nō habeat, ignis v. applicat⁹, cui hec vis inest eo nomine venit. Nō secus generās quodvis geni-ti causa Physica audit, com& ipsum facultate generatrice prædi-tum propriā virtute hunc effectum edere possit. Quid multa? uno ore id fatentur, qui se Aristotelicos vocant, ac proinde à sociis quibusdam præter meritum deseruntur. At verò, ut Connexionis veritatem quoque ostendamus, cum Creatione forma-rum quō convniunt? *δις διὰ ταῦτα* dissident. Si homo aut quocunque generans habet virtutem generandi anima non creabitur, cui bonō enim alias data esset à natura hæc activa facultas.

§. 15. Quę excipi solent, huc afferre non licet: redeundum potius ad id, unde falsitatis nos abduxit odium. Ad illud vi-delicet, in quo formaliter generatio consistit. Id v. omnes quot de generatione recte sentiunt productio-nem simili-s esse fatentur. Quod productionem inferat suprà expositum est, similis vero productionem

B

ex



ex fine colligimus. Data est generatio ad specierum conservacionem, quæ nequit obtineri, nisi simile quoad speciem sibi generantes producant. Adhæc in ore omnium: generationem esse communicationem ejusdem essentiæ. Qui a. alteri essentiam quam habet, communicat, is utique genitum habet simillimum sibi.

TH. IV. Fitq; beneficio seminis aut principii cuiusdam seminalis.

§. 16. In quavis generatione danda est materia productio-
nis, quæ semen appellari consuevit in plantis & animalibus
non solum, d. etiam in mineralibus. Quæcumque n. materi-
am productionis habent, iis seminium negandum non est. In
gratiâ eorū, qui Peripatetici audire & videri volunt, notetur Syl-
logismus, quem Excellent. noster Sperling. in aurea de Semine
Dissert. c. 1. habet: Quicquid habet aliquid, ex quo primò fit
secundum naturam illud verè habet semen & quoad vocem &
quoad rem. Mineralia (de cæteris non est dubium) habent ali-
quid ex quo primò fiunt secundum naturam. E mineralia verè ha-
bent semē & quoad vocē & quoad rē. Major est ex descriptione (Aristo-
telis) Minor nō eget probatione nisi forsā aut ex nihilo fieri mineralia
aut quodlibet ex quolibet fieri putet. Nec quenquā mouere debet il-
lud, quod subinde ex negatione vitæ, ex non cōpetentia (sit ve-
nia verbo!) descriptionis cuiusdam specialis, ex absentia deni-
que organorum velint inferre seminis negationem. Quoad il-
lud n. petunt principium, quoad istud malè putant descriptio-
nem seminis viventium per omnia esse applicandam, id n. fieri
aliàs nequit in analogis, hoc primo simile, cum adhuc his sub
judice sit, utrum ad omnis seminis elaborationem necessaria
sint organa. Si à viventibus ad non viventia procederet ar-
gumentatio, aut organa pro spirituum elaboratione concedē-
da, aut spiritus ipsis planè negandi forent. Conf. Celeb. Sen-
nert. Epit. Phys. l. 5. c. 5.

§. 17. Manet g. hoc, quod omnibus qui generant, se-
men tribuatur verè & propriè, non tñ. ὁσαύτως & æquè primò,
d. in equaliter wgoς ή νη̄ αφ' ενος, viventibus primariò, se-
cund.

In omni
generatio-
ne semen.

Aliis uni-
vocè, aliis
analogicè
semen co-
petit,

cundariō non viventibus. Viventium semina univocē, mineralium analogicē talia sunt. Quāvis v. viventium quoque semina non raro nos lateant, non tamen per naturam latentem patens evertenda, sed per hanc potius explicanda latens. Videntur sāpius nasci ex muris aut parietibus plantæ, ex quisquiliis mures; at videntur, si altius rem ponderes, semina se offerunt.

TH. V. Ejus finis est specierum conservatio.

§. 18. Tantūm recensemus usum finem, quamvis & hic locum inveniat istud: unius rei plures possunt esse fines. Interest huic universo nullam perire speciem, cum alioquin ejus caderet perfectio & vacuum daretur. Si deesset aliquid daretur in formis vacuum, quod longe maius esset in natura flagitium, quam vacuum iu quantitate, inquit Scalig. Ex. 250. s. i. Cum itaque vide-ret optimus creator, quædam corpora fatali clade pressa ad interitum vergere, ne successu temporis tota aliqua deficeret species, generationem ordinayit.

ob specierū
conservati-
onem con-
cessa est.

*TH. VI. Inter principia generationis communiter sed ma-
lè refertur privatio.*

§. 19. Cum Privationem vulgo principium generationis faciant, & de ea in præsenti videndum. Notat v. hec privatio nil aliud quam formę in materia absentiam cum potentia naturali proxima ad eam educendam ac recipiendam, & fundata est in falso educationis dogmate. Unde & nos, sicut in ipso generationis instanti formam adesse statuimus, ita privationem principium ejus negamus. Immotum stat argumentum, nec contrà quicquam vel ipsa prevalebit invidia: *Quicquid in nulla generatione datur, id generationis principium non est. Privatio in nulla generatione datur.* E. Major est manifesta. Minor ex traduce constat. Excipiunt dari utique in generatione privationem, datur privatio in seminibus eatenus, quat. ibi formæ non actu sed potentia sunt. Si semina ante vel extra generationem, habent ne illa privationem? sin v. in generatione, principium petunt. Et qui daretur in generatione, quod in instanti generationis definit, fatentibus Complutensis, pariter atque Co-nimbricensibus,

B a

§. 20.



§. 20. Addimus aliud: Quicquid tunc cum principium dicitur non existit, id principium non est. Privatio tunc cum principium dicitur non existit. E. Major patet, quia principium & principiatum est affectio entis actu. Minorem probat Mendoza afferens privationem esse principium generationis & tunc non existere.

§. 21. Habent v. & ipsi quæ sententiæ suæ patrocinari videntur. Primum est definitio generationis vulgata. Alterum contrarietas principiorum. Verum falsa est illa definitio, & idem per idem probatur. Neque etiam ista principiorum contrarietas in dubitatæ veritatis est, aut si talis esset, non privationem sed positivum quid inferret.

TH. VII. terminus generationis proximus est forma, ultimus est totum compositum cum omnibus partibus integrantibus.

terminatur proxime ad formam ultimè ad totum compositum.

§. 22. Generationis terminum duplicum offert natura ultimum & proximum. Hic est, quem primo generans assequitur s. ad quem primitus generatio terminatur, eoque ipsa forma geniti specifica, ut leonis, canis, rutæ, salicis & sic porro. Ille v. quem ultimò demum assequitur, & est totum compositum perfectè elaboratum. Primum in instanti generationis producitur forma, quare etiam in introductione formæ posita esse dicitur generatio; deinde ex semine fiunt partes integrantes, quib. postmodum magis magisque auctis totum compositum perfectissimè elaboratum habemus.

TH. VII. Hinc talis emergit definitio: Generatio est actio corporis naturalis mixti, quæ sibi simile producit, ut perpetua specierum conservatio constet.

Colligitur definitio.

§. 23. Genus est actio: est n. esse entiale latius, & quidem proximum, cum proxime latius. O. generatio est actio, sed non omnis actio generatio. Non autem dicere licet. O. generatio est actio momentanea, aut O. generatio est actio successiva. Non illud, quia talis non est generatio consummata; non hoc cum inchoata hic excipienda veniat. Differentiant tria Subjectum, forma & finis. Subjectum quod, corpora naturalia mixta, & speciatim horum formæ, à quibus omnes

mnes provenire soleat operationes. *Subjectum quo ipsa facultas generandi est.* Cum v. plurimæ mixtorum dentur actiones, ut ab omnibus aliis adæquate distingvatur generatio, formam s. rationem formalem addi oportuit. Denique etiam cum Natura temere non agat finis additur conservatio specierum.

§. 24. Hæc descriptio omnium, qualisquidem dari potest optima est, licet perfectissimam & omnibus numeris absolutam non esse utraque manu largiamur. Prostant & aliæ, ex tam nœvis suis haut carentes. Ut sunt: generatio est via ad naturam, generatio est mutatio à substantia potentia ad substantiam actu, generatio est mutatio ex non ente ad ens, generatio est mutatio totius nullo sensili manente ut subjecto eodē. Partim n. obscuræ, partim non satis plenæ sunt, partim etiam falsitatem habent admixtam.

TH. IX. Generationem aliam univocam, aliam æquivocam faciunt non tam benè quam fuetè.

§. 25. Traditâ definitione statim occurrit illa s. divisio s. distinctio generationis in univocam & æquivocam. *Univocam* dicunt, cum generans & genitum ejusdem sunt essentiæ: *Æquivocam*, cum essentiā diversam habent. Exempla hujus proferunt partim ex plantis, partim ex brutis, partim ex mineralibus, & ipso denique homine. Generationem æquivocam mineralium statuere coguntur omnes illi, qui ea vel virtute sideturum vel beneficio frigoris aut caloris nascicenses. Ex plantis afferunt gramina, herbas sponte, ut quidem videtur, nascentes, arbores item sylvestres & alia. Dicunt non dari hic aliquod semen, sed vel casu oriri vel à Deo aut quadam Intelligentia formæ earum produci existimat, vel ponunt pro effidente Cœlum, terram, aquam aut animam mundi in ijs diffusā. Multi quoque sunt in recensendis brutorum exemplis. Dicunt ex caseis & carnibus generari vermes ex luto & stercore scab eos & crabrones, ex sudore pediculos, ex urina pulices, ex lectis cimices, ex quisquiliis ranas & mures. Quorum efficientem alii Deum, alii cœlum, alii calorem, alii putredinem pronunciant. Non nullis quoque tribuitur sententia de æquivoca hominis generatione, à qua etiam haut longè abesse videntur illi, qui animæ rationalis creationem introducere satagunt.

Quidam
generatio-
nem æqui-
vocam cō-
miscuntur.

§. 26. At vero quid Deus? quid Sol? quid cœteræ stellæ? Causæ universales sunt, quæ determinatum dare effectum nequeunt. quid calor? quid frigus? quid putredo? accidentia sunt, quorum ne sexcenta quidem pro una sufficiunt substantia producenda. Cœlum, terra & aqua vitam non habent, ac proinde nec viventia producere possunt, imò quocunque mixtum ab illis produci nequit, eò quod longè perfectiora sint. Hinc tria nascuntur firmissima argumenta. Quæcumque sententia causæ universalī determinatum tribuit effectum, ea ferenda nō est. Sententia de generatione æquivoca causæ universalī determinatum tribuit effectum. E. ferenda non est. Quicquid anima & vita caret, animam ac vitam producere nequit. Cœlum, terra & aqua anima & vita caret. E. animam & vitam producere nequit. N. accidens potest producere substantiam. Putredo, calor, lumen sunt accidentia. E. non possunt producere substantiam. *Primi syllogismi Major* satis certa est: determinatus n. effectus etiam determinatam requirit causam, & quæ indeterminatè ad omnes influit effectus nullum determinat aut specificat. *Minor* ab omnibus conceditur; & si opus esset, facile probari posset ex modo influendi. Etenim influit non solum ad generationem muris, sed & ad hominis, ad canis &c. Nec est quod quis dicere aut cogitare velit Solem tunc se non habere ut causam universalem. Quæ ratio, cur Sol influat ad generationem hominis canis & leonis influxu generali ac indeterminato, secus v. ad generationē muris aut ranæ. Imò quid causa, cur Sol indeterminatè influat ad productionē hujus vel illius ranæ, secus v. ad alterius cuiusdam ranæ ortum. In secundo & tertio extra dubitationis aleam posita *Minor* est, nec *Major* incertilli, cui certum est, nullum effectum præstantiā anteire causam, neminem id, quod ipse non habet, alteri dare posse.

§. 27. Nec quicquam ad rem facit, cum dicitur, terram ex se quidem tantam vim non habere, sed eam à Deo accepisse tertio cum primis *Creationis* die, ubi Deus dixit: Germinet terra herbam virentem; Non confundenda natura instituta cum instituenda, nec generationi trahiendum, quod *creationis* est, nisi concedere velis & hodie equos canes & boves ex terra produci, sicut in ipsa *Creatione* factum. Et hic inter Tunc & Nunc distingendum

sum. Adhæc non accepit terra potentiam naturalem producen-
di herbas, d. obedientiam habuit, quæ infinita Dei virtute in-
actum deducta est. De Cœlo etiam miserè se torquent, dum alio
Intelligentiis Cœli motricibus, & propter has ipsi quoque cœ-
lo hanc virtutem tribuit, aliis Deum non esse omissendum cla-
mitat, qui naturam tanquam causam Instrumentalem dispo-
nat, aliis in prima statim Creatione Cœlum hanc Instrumen-
tariam accepisse virtutem ut possit hujusmodi materias ani-
malium disponere eodem modo, quo disponuntur per semen
decisum. Sed respondet ad hæc pro more suo i. e. sufficientissi-
me Excell. noster Sperling. Exerc. Phys. I 6. Ex. 2. §. 2. Falsum est
Intelligentias assistere stellis. Et contra Stellarum natum &
contra Intelligentiarum officia dicuntur hæc. Solum motum
intelligentia, dare stellis, credunt alias, nunc ad reliqua etio-
am munia eas adhibent. Ita dato uno inconvenienti sequuntur
plura. Negat ad Deum gloriosum in ordinariis actionibus recur-
rendum. Nihil bōdie natura sine Deo agit, nihil etiam Deus sine
Natura. Non quidem ac si Natura Instrumentum Deiforet, sed
quia inter ipsas causas principales adest subordinatio. Si simpliciter
pro Instrumento habenda foret Natura perirent in toto mundo cau-
sæ principales. In prima Creatione vires naturales Deus concessit re-
bus, quib. cum utuntur speciali concursu opus non est. Ineptum
est statuere ad vermis ad graminis generationem Deum speciali in-
fluxu concurrere, adequiv. leonis & bovis generali & universali.
Hactenus Ille.

§. 28. Nec suis destituta sunt seminibus gramina vulga-
ria, aut plantæ, quæ videntur sponte natæ, itemque arbores syl-
vestres. Graminum vulgarium semina in fœno nobis offerū-
tur. Si quædam in montium summitatibus, in muris aut aquis
enascuntur, semina illorum l. per inundationes, l. per ventos l.
per pluviam l. per aves, aliove quodam nos latente modo eō fu-
erunt delata. Nec sylvestres arbores absque semine se multi-
plicant. Multis nuclei ac semina insunt, quibus generant. Ne-
que etiam statim negandum aliis semen, si seorsim non exhibe-
atur. Tantò minus dicendum casu quædam oriri; agit enim
propter finem natura, quod ad unum omnes fatentur. Aut ter-
ræ, aquæ vel animæ mundi hoc adscribendum. Anima mundi
nihil



nihil est ; terre a. & aquæ si aliquis ad hæc corpora influxus trahi-
buendus non proximus & particularis, sed remotus & genera-
lis erit cùm non magis ad hæc quæ ^{herbā} producendā determinata sit. In brutorum generatione semen præsto semper est licet
non ubique animadvertis, nec quod in alio sit, statim ex eodem
fieri putandum est. Quæ a. de homine dicuntur non indigent ope-
rosiori discussione.

T H. X. Generatio vel inchoata vel consummata est.

§. 29. Natura nō facit saltū sed procedit gradatim. Homo extra
uterū nō statim est; senex, sed primū infas, post puer, mox adoles-
scens, dehinc juvenis, postea vir & ultimò senex. Nil minus
in utero datur. 1. γονί, 2. κύνημα, 3. ἐμβρυον, 4. παιδίον. Cum pul-
lus gallinaceus generandus primò ovum post pullus videtur.
In his & totum Essentiale, & totum Integrale spectandū. Sed
filum abrumpendum: nil nisi hymnus Deo decantandus restat.

GLORIA SOLI DEO !

Ad Præstantiss. & Literatiss.

Dn. RESPONDENTEM ,

Amicum Dilectissimum.

SCilicet in scriptis Veterum Generatio verbis
Traditur haud paucis ; sed sine luce nimis.
Utile non tantum ; verum quoq; dulce videtur

Ex scriptis illis disseruisse bene.
Et sic à falsis doctè distingvere verum
Ut mens in cunctis certior esse queat.

TITIUS hinc gnat, nunc miscens utile dulci,
Diei Philosophis, clarus & esse studet.

M. MARTINUS LEHMAN /
Gubenensis.

Si quisquam colit attentè sua studia, si quis
Molarum celebri captus amore viret,
Si quisquam doctos Saganensis spirat odores
Ne vivam, si non, tum ihi TITIUS es.

Hoc Eximio ac Literatissimo Domino Respon-
denti, civi ac contubernali suo singulari-
ter dilecto colendoq; plurimum fecit

GOTTERIDUS ROTHIUS. S. S.



09 A 1757

ULB Halle
003 785 904


3



UDK



Farkarte #13



DISPUTATIO PHYSICA
DE
GENERATIONE

Quam

I. N. S. T.

*Amplissimâ Facultate Philosophicâ
permittente*

*placidè ventilandam
exponunt*

P R A E S E S

M. JOHANNES SIMON,
DRESSENSIS, ALUMNUS ELECTORALIS,

&

R E S P O N D E N S

H E N R I C U S T I T I U S S A G A N .
SILESIUS.

ad diem 16 Junij A. O. R. M. DC. LV.

In Auditorio Minoris

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS HAKEN.